



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Conciones R.P. Ludovici Bourdaloue è Societate Jesu

Habitaë per Adventum Coram Christianissimo Rege Ludovico XIV.

Bourdaloue, Louis

Augustae Vindel. & Dilingae, 1716

VD18 80038840

In Natali Christi Domini Die Consio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68973)



IN
 NATALI
 CHRISTI
 DOMINI
 DIE
 CONCIO.

Et subito facta est cum Angelo multitudo militiæ caelestis laudantium DEUM, & dicentium, gloria, in Altissimis DEO & in terrâ pax hominibus
Luc. 2.

REX CHRISTIANISSIME

DUobus his comprehenduntur verbis, gemini Nativitatis Christi fructus: *Gloria DEO, pax hominibus.* Gloria DEO, cui debetur ex justitiâ; pax hominibus, qui-

quibus à DEO datur ex gratia. Gloria DEO, qui ea fruitur, ut bono proprio ac suo. Pax hominibus, qui eam exoptant, ut rem votis suis longè dignissimam. Gloria DEO, qui eam solus meretur, quia solus est per sese magnus. Pax hominibus, qui eam ut impetrent, nihil non ei debent posthabere. Distributio illa, inquit Bernardus, rationi vel maxime consentanea est, hominibusque ipsis utilissima. Videas tamen, addit idem Bernardus, quibus illa vix probetur. Injisi sunt ambitiosus & superbus. Et verò quia superbiâ & ambitione laborant, quantumvis fructuosa sit & utilis illis distributio, minimè tamen sunt ea contenti. *Non placet ei Angelica distributio, dans gloriam DEO, & pacem hominibus.* Injusta videlicet supra cæteros mortales se attollendi cupiditate cæcatis, pax, non satis est, nisi & gloria circumfluant; ac quamvis DEUS in sacris litteris tam disertè significet, se gloriam suam non daratum alteri, *gloriam meam alteri non dabo*, eò temeritatis prorumpunt homines vesani, ut hæc tacite secum agitent; ad eam ipsi per nos grasfabimur, non expectabimus donec impertias; illam nobis ipsi vindicabimus; & ego, inquit superbus, mihi illam, licet non dederis, usurpabo.

Bernard.

Isai. 24.

Psal. 113.

Sit procul à nobis tam dira mens , Auditores ; cùm melius cognitum ac perspectum habeamus , quod est magis è re nostrâ , stemus oblatâ in Evangelio partitione. Majores habet illa utilitates sibi adjunctas , quàm ut alia à nobis expetatur : usurpemus Davidicum illud. *Non nobis , Domine , non nobis , sed nomini tuo da gloriam.* Indebitam nobis , Domine , gloriam ne dederis ; totam tibi illam reserva , quæ tota tibi debetur. Sed salutarem illam , quam Angeli tui sperare nos jubent , & tuus secum Filius affert in tetras , pacem ne nega. Sic Christianum hominem loqui convenit. Augustissimum igitur mysterium , quod hodiernâ die celebramus , cùm sit nobis , ex æternis DEI consiliis , pacis mysterium , sub unâ illâ formâ & imagine spectare nos illud oportet ; eò cogitationes nostras omnes dirigere ; sanctissimisque præceptionibus , quas de pravissimo illo argumento DEI Hominis facti nativitas suppeditat , immorari. Sed prius Virginem omnium purissimam & castissimam salutemus. Virginem illam incomparabilem , quæ in audito hæctenus prodigio , Virgo permanens , DEI sui mater est effecta. Insignem hunc ipsi Matris titulum cum Ecclesiâ gratulemur.

Ave Maria.

Pat

PARVULUS natus est nobis, inquitbat
 Isaias, multò ante prænuntians, quod
 futurum erat, cum venisset plenitudo tem-
 poris. Et vocabitur Parvulus ille, subjicit
 idem Propheta, admirabilis, DEUS, for-
 tis, Pater futuri seculi, Princeps. *pax* Ho-
 die videmus, Christiani Auditores, re-
 comprobatum oraculum. Hodie JESUS
 infans, in præsepi dum flet & vagit, va-
 tinationem illam, quæ de nullo alio in-
 telligi potest, complet in sese & ab ipsis
 incunabulis, singulari quadam & præci-
 pua ratione ac modo pacis se principem
 ostendit. *Princeps pacis.* Quoniam vi-
 delicet in hodierno mysterio, & seque-
 strum agere incipit, & arbitrum pacis.
 Quoniam eo consilio visus est in terris, ve-
 ra ut pacis semina jaceret; quoniam Ange-
 lorum ministerio est usus, ad annuntian-
 dum Electis suis pacis Evangelium. Pax
 enim, teste Apostolo, beatus Legatio-
 nis ipsius terminus & præcipuus finis fuit.
Veniens Evangelizavit pacem.

Quia nascebatur, ut pacis Regnum
 sanciret (notate Chrisostomi sententiam,
 quæ lucem est allatura superiori sententiæ)
 ad ejus executionem consilii, cuncta con-
 spirare oportebat, ac re ipsa singulari DEI
 providentiâ, eam in rem nihil non con-
 spiravit. Hinc nasci divinus infans vo-
 luit Augusti Cæsaris principatu, quo nul-

PARS I.

Isai. 9.

Galat. 4.

Isai.

ibid.

Ephes. 1.

lus usquam pacatior fuit. Fruebatur universus orbis, hoc est Romanum Imperium, summa pace, ut vel eo comprobaretur, quod de Messia fuerat sacris literis consignatum, uberrimam ipso nascente, pacis copiam fore. *Orietur in diebus ejus justitia & abundantia pacis.*

Psalm. 72.

Verum enim vero pax illa exterior & temporaria, quæ regnabat in terris, erat tantum velut via ac preparatio quædam ad aliam potiore multò sanctiorémque pacem, quam nobis unigenitus DEI filius afferebat é cælo. Atque hoc loco ingredior ad aperiendum quod est in hodierno mysterio magis absconditum. Sequimini, quæso, præeuntem, Auditores. Planum facio quid velim. Pacem conciliare & coagmentare inter discrepantes moribus nationes, restincto, quo absumuntur, bellorum incendio, erat utique opus generalis illius, qua mundus administratur, providentiæ. Ad pacem conciliare DEUM inter & homines; docere quî secum homo, quî cùm proximo certam æternamque pacem habere ac retinere valeat, hoc utique fuit, & esse oportuit, singularis, admirandæque sapientiæ DEI hominis fructus.

Igitur sanctissimo suo ortu, & jis omnibus, quæ huic comitantur, facit, pacem ut habeamus cum DEO, nobiscum,
cum

cum fratribus. Pacem cum DEO, dum in Bethleemitico stabulo, jam, nostrâ causa, penitentiam agit; hoc primum. Pacem nobiscum dum ad animi nos demissionem hortatur; ac terrestrium bonorum contemptum olidum præsepe sibi in cunas eligendo hoc alterum. Pacem cum fratribus, mansuetudine, aut potius tenerriamâ charitate, cujus ipse in ortu suo vivum & maximè efficax documentum est, absolutissimamque exemplar. Hæc totius erit concionis clausula. *Veniens evangelizavit pacem.* Sed quibuscum? iterum dico; cum DEO, dum se nobis victimam præbet, ad peccati labem omnem eluendam. Nobiscum, dum geminos cupiditatum omnium fontes, superbiam & cupiditatem extinguit. Cum fratribus, dum morum asperitatem ac duritiem, tam naturale hominibus, certè tam vulgare malum, mitigat, & benignitatem suo nobis persuadet exemplo. *Evangelizavit pacem.* Itaque vel in ipso ortu suo, tergeminae hujus, tam optandæ, tamque nobis necessariæ pacis nuntius, præco fuit. Pacis cum DEO, dum, quo ille pacto sit à nobis placandus; pacis nobiscum, dum nos & humiles esse, & *pauperes spiritu*; pacis cum proximo, dum nos mites esse & humanos, docet. En argumentum & concionis hodiernæ parti-

tio. Aures atque animos, quaeso vos, advertite.

Ephes. 2.

Est Christianæ fidei dogma, quod nemini fas est vocare in dubium, Adami posteros, ut peccati reos, nasci *filios iræ*, eoque nomine, non DEI solum inimicos, sed & tales, ut per se ipsi, non valeant redire cum DEO in gratiam. Igitur sequester illis opus erat, qui legitimam auctoritatem munitus, & instructus, homines inter & DEUM, pacem illam tam necessariam constitueret. Sequester, qui salutis nostræ perinde ac divini honoris studiosus defensor, homines cum DEO, in suam personam, reconciliaret. Sequester, in quo DEUS debitæ sibi satisfactionis, homines veniæ ac misericordiæ, qua egebant, abundantiam & copiam reperirent. Sequester, qui duobus his inter se conjunctis. *Pacificaret sive que in terris, sive que in cælis sunt*, ut loquitur Paulus Apostolus, & pretiosi cruoris impensam, citra ullum divini juris damnum, cum DEO nos restitueret in gratiam. Hoc ipsum autem est quod fides docet, Auditores, & in hodierno mysterio completur. Quid enim videmus in Bethleemitico specu? percipite quod sum dicturus, in eo quippe tanquam in cardine vertitur fides nostra. Videmus in infante DEO divinam misericordiam humanam carne vestitam, simulque, quod

Coloss. 1.

quod prodigium est stupendum vel maximè, divinam justitiam, ipsius offensis riè expiatis, abundè cumulatèque expletam & satiatam. Misericordia ac justitia, geminæ DEI proprietates, quarum fœdus & concordia DEUM inter & homines pacem conciliare debuit, atque in verbi incarnati personâ tam intimo nexu jungi ac copulari tantùm poterant. Res patebit attendenti.

Dixi in infante DEO misericordiam humanâ carne circumdatam spectari: atque hoc ipsum se nobis statim ostendit in sanctissimo ipsius ortu, cujus mysterium omne, uno Paulus verbo complectitur, cum ait, tunc primùm DEI Servatoris gratiam apparuisse, & ita apparuisse, ut quod nulla intelligentiâ, & ratione comprehendere poterat, palpari jam nobis & sentiri cœperit. *Apparuit gratia DEI Salvatoris nostri.* Jam à multis sæculis DEUS, inquit Chrysostomus, dum hunc locum edisserit, quamvis offensus, longioris tamen belli pertæsus, de ineundo cum hominibus fœdere cogitabat; quam in rem omnes gratiæ, omnes misericordiæ suæ thesauros reservaverat. Jam à multis sæculis dicebat, *ego cogito cogitationes pacis.* Verùm cogitationes illæ pacificæ, addit Chrysostomus, inclusæ erant in DEI mente. Meræ cogitationes, mera Consilia,

quæ cùm foras non erumperent, effectu carebant suo. Iis fata cogitationibus erat divina mens; sed nondum advenerat tempus, quo eas aperire constituerat atque proferre. Ut infinitè misericors, cogitabat cogitationes pacis; nihilominus tamèn impressa passim ubique spectares rigidioris ipsius justitiæ vestigia. Hodie cogitationes illæ suspensæ tandiu, divino sinu tandiu inclusæ, jam se palam profundunt atque ejiciunt universæ. Quid ita? quoniam Christus DEUS & homo, hoc est, ipsamet gratia, ipsamet misericordia, se videndam hominibus præbet. *Apparuit gratia DEI.* Non jam steriles divina mens pacis cogitationes volvit, sed consummatum pacis opus, sed miraculum, sed prodigium profert in lucem. Non jam dicit DEUS, mens mea concipit, ego meditor, ego cogito; sed datam hominibus fidem libero, promissâ compleo. Sic nimirum intelligi voluit à nobis, cùm verbum suum, carne indutum, terris ostendit. Cùm mundo obtulit deditque redemptorem.

At enim cùm Redemptorem hunc dedit, num est oblitus sui? cùm viam illam iniit tam stupendam: qua cogitationes pacis expromeret, num pacem nobiscum minus commodam sibi, minusque honorificam pepigit? en, Christiani Audi-

tores,

tores, en, quod satis admirari non valemus. Atque hoc loco, æquum est, ut fidei lumine collustrati, divini Numinis sapientiam veneremur. Cùm viam hanc & rationem iniiit, sui non est oblitus DEUS, inquit Chrysostomus; ejus rei expedita est & aperta probatio. Dum enim in infante & recens nato DEO, divinam misericordiam intueor latentem fragili carne, divinam utique, in ejusdem personâ, justitiam aspicio, cui abunde est satisfactum. Dum in infante DEO gratiam contemplor, & peccati veniam oblatam homini, in ejusdem infantis personâ, propitiationis victimam, in delictis expiationem, DEO oblatam, video. Ut est peccatum unica fatalis belli & odii causa, quod DEUS adversus hominem gerit, Servatorem in præsepium mactatum intueor, ut viventem hostiam, in noxæ, quæ nos à DEO sejunxit, piaculum. Ut est pœnitentia, prima ac præcipua, pacis cum DEO faciendæ, conditio, cerno ibi Hominem DEUM jam loco nostro pœnitentiam agentem, & exemplo suo docentem, quo eam pacto agere nos oporteat.

Venerabile pacis mysterium, quod significare multò ante voluerat Psalterius his verbis; *misericordia & veritas*, hoc est misericordia & justitia, obviave-

runt

Psal. 14.

runt sibi. Quo autem loco, quærit Bernardus? in stabulo, quod Christum nascentem excipit; imò potius in Christo ipso. Ad id usque tempus planè diversum iter tenuerant, nec erat quicquam à misericordia magis remotum & alienum, quàm justitia. Accedunt ad sese invicem hodiernà die, & altera alteri obvium procedit. *Obviaverunt sibi.* Ad id usque tempus altera visa erat alteri contraria; justitiæ quippe erat, nocentes punire; misericordiæ, parcere. Hic venia & pœna in unum coeunt; cum pœna, qua innocens afficitur, hoc est, incommoda quibus Christus conflictatur in præsepi, veniam homini nocenti, mereatur veniaque, quam impetrat homo nocens, Christi cruciatibus ac pœnâ quam subit, & libenter subit innocens, ex æternis DEI decretis, nixa tantùm sit atque fundata. Ex quo consequitur id quod subjungit Propheta, orationem adhibens non minus insolentem; justitiam & pacem, sororum ritu, mutua venissè ad oscula. *Justitia & pax osculate sunt.* Quæ verba idem Bernardus ad Christi accomodat natale. Et meritò; siquidem constat, pacis nostræ cum DEO inita fundamentum esse, vindicem illam justitiam, quam DEUS, pro jure suo omni, unigenitum filium, nostrâ cau-

causâ , dum tradit ; in peccatum exercet. Non jam autem vel ab hac ipsâ die, tradere illum incipit? & , an potest apertius tradere , quàm cum præsepe illi in cunas assignat? quam igitur hujus mysterii formam habere nos in animo oportet? accipite , Auditores , qualem habuit Apostolus ; iisdem , quibus eam expressit verbis. *DEUS erat in Christo mundum reconcilians sibi.* Jacebat in præsepio Christus , & latebat in Christo sibi homines reconcilians, DEUS. Sententia sublimis & Paulo prorsus digna! quæ rectè ut evoluetur , integram poscat concionem. Latebat in Christo DEUS , sibi homines , seque ipsum vicissim hominibus reconcilians. Sensus est, erat in Christo DEUS , oblatas sibi à Christo , *pro totius mundi peccatis* , satisfactiones accipiens , & earundem causâ , quæ à Christo proficiscebantur, obliterated, condonans , delens , funditusque abolens cuncta mortalium omnium crimina. Excutiamus hæc Pauli verba. *DEUS erat in Christo mundum reconcilians sibi.* Jacebat Christus in præsepio , DEO , ut novæ , legis Sacerdos , Sacrosanctam *Humanitatem* suam immolans : *DEUS erat in Christo* , sacrificium illud accipiens in futura cujusvis impietatis , blasphemix , sacrilegii , & profanationis expiationem. *DEUS erat in Christo* , gloriæ suæ , aut jam

2. Cor. 5.

1. Joan. 2.

2. Cor. 5.

Tit. 3.

jam attentatæ à superbis mortalibus, aut attentandæ postmodum, damna resarciens; actiones omnes injustas, flagitia, malaque omnia, quæ partim effrenatam eorum ambitionem; partim insanam vanitatem, partim malignam invidiam in orbem terrarum invehere necesse erat.

Philipp. 2.

DEUS erat in Christo. Jacebat Christus in præsepio, immensæ hujus obedientiæ, quæ ad mortem usque crucis extendenda erat, primitias patri offerens. *DEUS erat in Christo*, hæc ratione futurum legis suæ contempum ritè vindicans, & quidquid hominibus jugi impatiens licentia, quidquid impietatis insolentia, quidquid solutioris vitæ amor, contra DEI mandata & debitam ei submissionem, suafurus tandem erat. *DEUS erat in Christo.* Jacebat Christus in præsepio, virginæ carnem immolans, per summam paupertatis, quas patiebatur, ærumnas. *DEUS erat in Christo* sibi ipse satisfaciens, eam ob corruptelam, quam fluxa sensuum titillatio, quam soluta animi molities, quam luxuriosus corporis cultus, quam voluptatis amor, quam commodorum & deliciarum abusus, in hominum mores illaturus erat; hoc est, ob terras illas libidines, ob vitia illa abominanda, quæ vel nominari Paulus Apostolus vetat. Ob portentosa illa flagitia, quas

quæ labem inurunt hominum generi, & ad belluarum deprimunt sædam sortem ac conditionem. *DEUS erat in Christo.*

Uno verbo, Christus in præsepio jacebat, loco nostro pænitentiam agens, eratque *DEUS in Christo*, illam Pænitentiaæ asperitatem habens acceptam, unaque eandem nobis in specimen, & exemplum proponens; quasi dixisset omnibus: In-

spicite atque istuc ipsum, quod oculis vestris subjicitur, æmulamini? *inspice & fac secundum exemplar.* *Exod. 36.*

Hac, inquam, conditione *DEUS erat in Christo* nos reconcilians sibi, seque vicissim pro suâ summâ charitate nobis reconcilians. *DEUS erat in Christo mundum reconcilians, sibi.*

Tametsi enim peccatis nostris iratus, quî fieri possit, inquit Bernardus, ut non flectatur amantissimi filii pænitentia? filii, inquam, de quo dicere vel tunc potuit, quod multis post annis. *Hic est filius meus dilectus in quo mihi complacui.* *Math. 3.*

Filii, qui, quamvis peccatoris, in ortu suo, præferat speciem, est non modò *Sanctus Sanctorum*, sed & sanctitas ipsa. *Dan. 9.*

Filii, qui, quamvis in cunis *exinanitus*, est illi potestate, & citra *rapinam* ullam, *Philipp. 2.*

haud diversus ab ipso *DEUS*; quî, inquam pænitentiam illam actam à *DEO*, acceptam, non habeat? qui despiciat nostram, *DEO*, per pænitentiam, ipsi satisfaciente?

Is

Is est igitur, Auditores, pretiosus nati-
vitas Christi fructus, Pax cum DEO
inita, pœnitentiæ adminiculo. Sed ut
abducamur in errorem, atque ut istuc
ipsum ad vivum refecemus, cum dico
pœnitentiæ adminiculo, pœnitentiam
intelligo sinceram, solidam, efficacem: pœ-
nitentiam intelligo fervidam, accuratam se-
veram, hæc enim una reconcilare nos cum
DEO, hæc una pacare vere conscientiam
nostram valet; quia hæc una cum DEI ho-
minis pœnitentiâ congruit. Imperfecta,
tepidam languida, remissa pœnitentia, in
qua se ipsum audit peccator, sibi ipse
parcit, sibi ipse indulget; pœnitentia
commoda, quæ nullas respuit vitæ ju-
cunditates; pœnitentia, quæ carnem non
castigat, nec pravos animi motus com-
primit, pœnitentia sterilis & bonorum
operum egena est vacua, & inanis pœni-
tentia. Ejusmodi pœnitentia DEUM irri-
tat & exacerbat, tantum abest ipsum ut
mitiget, Conscientiam stimulat ac pun-
git acerrimisque lacerandam tradit angori-
bus, tantum abest ut ejus abigat anxietates.
Pœnitentia nobis opus est, inquit Chry-
sostomus, quæ cum Christi pœnitentiâ
jungi, & Christi pœnitentiæ, supplemen-
tum esse possit. Pœnitentia, quam pec-
cator meritò credat ejus esse naturæ, ut,
quem-

admodum loquitur Apostolus, *adimpleat ea qua defunt passionum Christi.* Atque ut talis sit pœnitentia nostra, dotes illas omnes, quas dixi, sinceritatem videlicet, soliditatem, integritatem, severitatem habere eam oportet. Sic Christi pœnitentiæ, per omnia, similis illa erit.

Si pœnitentia vestra. Christiani Auditores, ejus generis fuit: si veræ hujus pœnitentiæ spiritu animati, accessistis ad sacrosancta mysteria, hoc utique maximi vobis solatij, mihi gratulationis non prætermittendæ argumentum haud leve esse debet. Habetis enim pacem cum DEO. *Invenistis gratiam in ejus conspectu.* Raram ille in cælis habet latam in terris à Sacerdote absolutionis sententiam. Unicuique vestrum, ut paralytico illi, dictum est, *ecce sanus factus es, jam noli peccare.* Ne re præterita sollicitum habeant. Remissa sunt omnia. Beata fors! fors fortunis omnibus anteferenda! pax est mihi cum DEO! mihi infensus erat DEUS, ego illi. DEO tandem sum reconciliatus, ac vicissim ille mihi. *Pax DEI*, quam scriptura comparat lautissimo convivio, aded copiosâ & liquidâ animum perfundit voluptate. *Pax DEI*, peccatori summopere optanda; per eam siquidem in integrum restitutus, pristinae innocentia, ac primigenia sanctitatis jura cuncta recuperat.

R. P. Bourd. Adv.

Quod

Lament.

Quod si pœnitentia vestra, Auditores Christiani, imperfecta fuit; si post peccatam pœnitentiam, in peccatorum adhuc cœno miserè jacetis, audite quæ vobis annuntio, ac quantumvis calamitosus sit status ille vester, istuc humilem ac generosam fiduciam addere vobis debet. *Convertere ad Dominum DEUM tuum.* Redite in viam. Pœnitentiam agite; eandemque Christi infantis pœnitentiæ similem efficit. Pœnitentiam vestram conjungite cum infantis Christi pœnitentiâ. Intimo tacti peccatorum vestrorum dolore, quorum expiatio tanto ei sterit, eadem, ut ille, detestamini. Eadem ut ille deflete. Lacrimetis cum lacrimante; doleatis cum dolente, Deique nomine, promptam vobis cum illo reconciliationem promitto ac spondeo. En Beneficium quod vobis hodiernâ die offertur. Quis tam cæcus, tam insanus, tam perditus, illud ut respuat? Verumtamen præter pacem, in quam restituimur cum DEO, docet etiam nascentis Christi mysterium, pacem, ut nobiscum retineamus.

PARS II.

JAM ab ipso mundi exordio tam deplorandum in statum homines devenerant, ut, absque ullâ spe pacis, per seipsum recuperandæ, assiduum quotidianumque bellum secum gerere cogerentur; & quod

quod mirum videatur, sequestro non minus indigebant ad pacem secum, quam cum DEO, constituendam. Hinc etiam colligo, Christum, eandem illam ob causam, principem adhuc, & pacis DEUM esse. *Princeps pacis*; in hoc siquidem nativitate suæ mysterio, & exemplis docet nos, & documentis suis, qua pacem arte nobiscum servare ac retinere valeamus. Ars inestimabilis, quam nosse, tantopere nostra interest, Deique nascentis tantum erat enuntiare. Et verò divinam illam artem ad id usque tempus homines ignoraverant; fascinante enim & excecante sæculi DEO, sibi in animum falso induxerant, faciliorem & expeditiorem habendæ pacis viam esse nullam, quam suis desiderijs indulgere, explere ambitionem, cupiditatem exsaturare, eam in rem coli, secerni populo, accumulare opes, in rerum omnium abundantia vivere, facere sibi aditum ad honores, evehere se altius, statum suum amplificare. In eâ fuerant & erant opinione plexique mortalium. Ex qua non in errorem solum, teste scripturâ, sed & in summam calamitatem ac miseriam sunt prolapsi. *Con-*

tritio & infelicitas in vijs eorum. Quid ita? quoniam ita sentientibus via pacis adipiscendæ ignota erat. *Et viam pacis non cognoverunt.* Pro eâ animi tranquillitate,

Ysa. 9.

Rom. 12.

Psal. 13.

Q 2

litate,

litate, quam sibi fingeabant in suâ illâ rerum omnium affluentia & honorum possessione, assidui illorum comites erant perturbatio, anxietas, ægrotudo. *Contritio & infelicitas.* Ea tum erat mortaliū sors. Atque utinam, Auditores, non sit hæc vestra! quid egit Christus? ut pacis adipiscendæ viam ac rationem, à nobis frustra quæsitam, ostenderet, humanam carnem assumpsit. Qui se ipse in Evangelio viam dixit, *Ego sum via*, comitis obit & ducis partes, ut semitam illam nobis ostendat, qua ad Beatæ hujus pacis terminum certò perveniamus. Qui se veritatem dixit, & est reipsa, *ego sum veritas*, eò carnem induit, ut errores, qui, circa pacem illam, mentes nostras occupaverant, ipse depelleret. Qui se vitam dixit, *ego sum vita*, eò carnem induit, ut id, per quod unum in pacis, illius possessionem venire possumus, gustandum nobis daret. Qua autem ratione hæc omnia? hinc geminos in hoc mysterio pacis hujus verosque fontes dum nobis aperit, humilitatem videlicet ac paupertatem. Indè maximos tam optatæ, tamque raræ pacis obices, hoc est, superbiam & avaritiam, dum removerà nobis. *Veniens evangelizavit pacem.*

Sic

Joan. 14.

Ibid.

Ibid.

Eph. 2.

Sic est, Auditores, DEUS infans factus, & inter homines vagiens, exemplo nos docet suo, quod, ut Evangelicæ doctrinæ fundamentum, ponere postmodum debuit. *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde; & invenietis requiem animabus vestris.* Quo ex oraculo, inquit Augustinus, non sanctitatem solùm nostram, sed & felicitatem ipsam temporalem, pendere necesse erat. Liquet enim pretiosam illam animæ requiem, & sine qua bona alia quævis supervacanea sint, haud aliâ re magis impediri quàm adversante ac repugnante, cum Christianâ demissione, hominum naturâ. Istuc utique malum DEO nos confiteri par est, & privatim deplorare. Quoddam pax corde nostro tam sæpe excutitur, quoddam retinere ipsam non valemus ad breve tempus, in causâ est innata illa superbia. quæ animos nostros inflat; superbia, qua tam crebrò nobis persuademus, nostræ dignitati meritisque nostris non sat ab alijs tribui. Hinc ægritudo, anxietas, desperatio, simultas, iracundia, quæ dies noctesque mentem occupant & torquent. Ægritudo, cum malè nos haberi, desperatio, cum contemni, iracundia, cum insultari & apertè illudi nobis videmur, gaudente DEO, inquit Chrysostomus, superbiam nostram nostrâ eâdem superbiâ mulctare, & vitiosum no-

Matth. xi.

stri ipsorum amorem, ad nos ipsos exercendos, adhibente, cum præ nimiam animi molitie & impatientiam, cujus superbia fons est, asperum naturæ ac molestum quidquid occurrit, recusamus. *Humiles efficiamur, & humiles corde*, aberuntque continuo à nobis cunctæ illæ agritudines. Faciet nos humilitas Christiana inter adversa tranquillos. Quæ nobis cunque injuria possit inferri, & inferatur reipsa, malis nostris medicinam asseret humilitas Christiana, confirmabit humilitas Christiana, procellas illas avertet humilitas Christiana, turbidos illos motus, qui mentem susdèque vertunt & concitant tam vehementer, humilitas Christiana componet. Gravissimum hoc caput, Auditores Christiani, diu multumque cum animis vestris considerate. Excutiat se quisque vestrum & interroget, quid sit causæ, cur tam facile perturbetur; cur ex perlevi contemptus, sæpe imaginarij, suspitione, tam graviter offendatur? cur ad verbum jactatum in se imprudenter ac temerè, dolore, odio, iracundia efferratur. *Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me.* His se verbis interrogabat Propheta, quæ & superbus quivis in horas singulas usurpet jure multo potiore, *Quare tristis es anima mea?* haud aliam perturbationis causam reperiemus, quam in-

natana

Psal. 11.

natam illam penitusque insitam superbiam, cui alimenta subministramus, tantam abest eam ut extirpemus. En, profani mundi cultores, quod facit, ut pacis illius, quæ tamen, vestra confessione, secundum æternam felicitatem, summum hominis bonum est, expertes vivatis. Hanc cæteris omnibus præoptatis, cætera quando eum tantum in finem desideratis. Quam si nunquam assequimini, debetis istuc vobis imputare, & huic ambitioni, cui vos totos dedistis, totos mancipastis; ambitioni, quæ vos non sinit, tametsi bonis cumulatòs à DEO, vestrà vivere sortè contentos, alienæ semper invidere jubet. Ambitioni, quæ facit, ut collata à DEO beneficia nihili ducatis, in ejus providentiam summè ingrati: ad ea quæ absunt semper aspiretis, vosmetipsum eam in rem dies & noctes torqueatis; ambitioni; quæ in animo vestro tot scædi & abjecti livoris motus excitat; quæ ex aliorum prosperitatibus rebûsque secundis, tam amaram dolori vestro materiam trahit; quæ vos sicubi consilijs susceptisque vestris obstititur, nunc tam cæco furore, nunc tam atroci odio pectus vestrum inflamat. Iterum dico, quod satis inculcari nequit, & in quo residet, & unde manat exitiale malum.

Cum semel cupiditatem hanc dominam habebitis; cum vos intra eos fines, quos

quos DEUS fortunæ vestræ circumdedit, ut Christianos & sapientes viros decet, continebitis; cùm agnosceris, quod nunquam hactenus, ut æquum erat, agnovistis, DEUM in vos largum nimis ac munificum extitisse; tunc nimirum, tunc incipietis, pacem, pretiosum illum thesaurum, frustra tandiu quæsitum, quia quæsivistis ubi non erat, habere penes vos. Tunc forte vestrâ contenti, alienæ non invidi, justissimas DEO grates persolveris. Tunc divinæ voluntati planè subjecti, id unum studebitis, ut salutem vestram, pro suâ quisque vitæ conditione, ponatis in tuto, haud amplius intenti, captando fugaci simulachro, in quo summum vobis bonum fingitis, sed cuius spes evanida, nihil nisi molestiam & ægritudinem creare solet. Tunc fortunâ vestrâ contenti, placidè illam, nec sine gratiarum actione, qualiscumque illa tandem fuerit, feretis; unum hoc curabitis, ut illâ bene utamini, nihil magis metuentes quàm ne acceptis facultatibus malè vos uti contingat. Tunc liberis aucti, eos ut locetis in matrimonium, adhibetâ ad id, quæ Christianum decet, diligentiam, fiduciam vestram in suavissimâ Numinis providentiâ defigetis, cuius in sinum *solicitudinem nostram omnem*; ex Apostoli Petri præscripto, *pro-*
ficere

jicere nos oportet; ac pro certo habebitis,
 si ei non defuerimus, nobis vicissim il-
 lam non defore. *Omnem sollicitudinem* ^{1. Pet. 5.}
vestram projicientes in eum. Tunc ruptâ
 mundanae servitutis compede, nihil non
 à DEO expectabitis. Fiduciam vestram
 omnem collocabitis in eo: asseretis vos
 in sanctam ac beatam *libertatem filiorum* ^{Rom. 8.}
DEI: evanescent continuo nebulae tristes;
 procellis ac tempestatibus malacia tran-
 quillitasque succedet, & arcanae pacis
 illius, quam superbia vestra toties tur-
 bavit, utura brevis, falsa ea commoda,
 quò spectabat, & inanes spes vestras,
 quae tot molestias ac labores adjunctos
 habebant, abundè pensabit. Eam ob
 causam ita vos hodie Christus servator
 compellat. *Discite à me quia mitis sum &* ^{Math. 23.}
humilis corde.

Neque verò Christianam hanc demis-
 sionem existimemus abjecti animi vitium
 esse. Fuit illa DEI propria virtus; fuit mag-
 nanimorum; fuit sapientium; fuit corda-
 torum hominum, & super omnia, DEI
 electorum virtus. Discite ergo illam à me
 (audite adhuc caelestis Magistri vocem) à
 me, inquam, cuius unius est doctrinam
 tradere, quam & profana ignoravit Philo-
 sophia. Discite illam à me, qui eò
 tantum descendi in terras, eam ut vos
 edocerem & me ad intima quæque, vo-
 lens

lens ac libens, demissi & abjeci, quò doctrina hæc mea in animos vestros, exemplo meo, facilius influeret. Quasi dicat, discite à me, pacem & superbiam consistere unà non posse; pectus vestrum, quidquid tandem aut colligatis ipsi, aut conferrat mundus, quandiu vanitas, quandiu ambitio, quandiu fluxa fragilisque gloriæ amor in eo regnabit, nunquam esse satiandum; atque adeò ut ad humanæ felicitatis centrum perveniatis; ut illam animæ pacem, quæ per excellentiam, DEI donum dicitur, habeatis, sincerè & verè humiles vos esse oportere. *Discite à me quia mitis sum & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris.*

Hoc ipsum enim est, inquit Bernardus, quod DEI incarnati sapientia in augustissimo hoc mysterio declaratum voluit. Quoniam sumus demersi carne, atque adeò non nisi concretis & terrestribus percipiendis assueti, carnem assumpsit æternum DEI Verbum, nos ut viâ & ratione quadam apertâ, atque ut loquitur idem Bernardus, *in carne doceret*, Christianam demissionem, viam unicam esse ad salutem illam cordis tranquillitatem, imò ad salutem ipsam adipiscendam, adeò necessariam. Igitur, vel nostrâ ipsorum causâ, concludit Bernardus, *sipientes*

hodiernâ die Servatoris præceptis ac monitis aures admoveamus, & saltem carne induto DEI verbo, dum nos erudit, auscultemus. *Quia nihil præter carnem audire poteras, ecce verbum caro factum est; audias illud vel in carne.* Neque hoc satis est. Dat nobis, Auditores, & aliud, haud levioris momenti, præceptum. Unde enim pugnae illæ interiores, unde intestina illa bella, quæ nos tam crudeliter dilacerant, nisi ex cupiditate, ex ardore habendi, ex sacro & execrabili terrestrium bonorum studio? in ijs ponitis vitæ jucunditatem; & inextinctæ cupiditatis sitis, quæ vos urit, eadem vertit in supplicium. Et verò quàm acres in parandis opibus curæ! qui labores in tuendis ac tenendis! qui metus ne amittantur! quæ augendi in expleta libido! qui dolor, si non superant aut non necessarijs, aut superfluis sumptibus! qui mæror, qui gemitus, quæ consternatio, cum invito elabuntur è manibus, & infortunio aliquo, aut inopino casu eripiuntur! qui pudor, cum vivendum in egestate ac probro! quæ mæstitia ex præteritis! quæ anxietas ex præsentibus! quæ sollicitudo ex futuris; inter tot turbines procellasque passim obvias, inter tot rerum vicissitudines adversosque casus, qui in oculos incur-

Bernard.

incurrunt, aut quibus vita solet in singulos dies esse proposita!

Matth. 5.

Tot malis est medicina praesens, pauperas Evangelica. Da hominem *pauperem spiritu*. Nulla illum res conturbaverit. Da hominem minimè cupidum, cui terrena cuncta fordeant, quocumque DEUS calamitatis genere constantiam ipsius periclitari volet, in adversâ perinde ac prosperâ fortunâ, in egestate rerumque omnium abundantia, placidissima semper in ejus animo pax regnabit. Bonis *utens*

1. Cor. 7.

adeptis, tanquam non utens, eaque, auctore Paulo, possidens, *tanquam non possidens*, ad omnem ijs erit paratus eventum. Pacato, ceu Jobus alter, & impavido stabit pectore, inter savientes mundi procellas, hac eadem se sustentans cogitatione, qua viri longè sanctissimi mens erat in tranquillo. *Si bona suscepimus de manu Domini, mala quare non suscipiamus?* in adversis casibus & bonorum jacturâ paratus omnia perpeti, in illa cum ipso verba, semper æquabilis, prorumpet. *Dominus dedit, Dominus abstulit.*

Job. 2.

Largitus erat has fortunas rerum autor & procreator omnium DEUS; idem qui dederat abstulit; nihil præter ejusdem optatum contigit. *Sit nomen Domini benedictum.*

Job. 1.

Ibid.

Beata sors! solidum ac firmum

firmum præsidium! apertus semper portus,
tutumque turbidis rebus perfugium!

Hoc nimirum hodiernâ die docet Christus, & exemplo docet, ad animos vestros permovendos, planèque convincendos, magis accommodato, quàm sit Jobi exemplum. *Hoc nobis predicat stabulum, inquit Bernardus, hoc clamat præsepe, hoc panni evangelizant.* Docet ille beatos esse *pauperes spiritu*, imò solos hac in vitâ, beatos eos esse reipsâ, & esse posse. *Beati pauperes spiritu*; atque adeò felicitatis nostræ, in hac vitâ, partem, & partem maximè necessariam esse, animo vivere expedito, libero, ac soluto cunctis fortunæ donis; nec doctrinam illam tradere tantùm incipit, sed & hominibus persuadere. Et verò vix ille prodijt publicam in lucem pannis oblitus, cæterisque paupertatis insignibus spectandus, cum ad ejus cunas pauperes astare video, Pastores videlicet, qui non divinæ tantùm acquiescant voluntati, sed DEO etiam, unâ voce, in suâ illâ egestate gratulentur. Pauperes, qui Bethlemitico spectaculo commoti, rusticas casas & mapalia repetunt, rusticas casas & mapalia repetunt, lætitijs omnibus, quamquam pauperes, læti. Pauperes suâ sorte contentos, quicque eximiam suæ sortis felicitatem quoniam agnoscunt in divino infante, suas Jerosolymi-

Math. 5.

lymi-

Luc. 2.

lymitanis civibus gazas non valde jam invideant. *Reversi sunt pastores glorificantes & laudantes DEUM.* Vix in stabulo sese ostendit, cum divites conspicio, qui, ad ejus pedes, opes abjiciunt suas, tantum abest ut ijs sint addicti; qui honori ducunt, eas in ejus oculis exuere, abdicare, calcare, Felices hi & illi, quod pauperi DEO facti similes, optatum pacis iter tandem ingrediuntur. Sacrum Servatoris praesepē, tu facis, ut Evangelicam illam paupertatem, quam sum jam olim amplexus, etiam hodie gustem. Tu mihi abditas illius opes referas: tu pretiosam illam mihi reddis & maxime venerandam. Tu facis, ut divitias illi, fortunisque omnes libens postponam. Nihil est, Domine DEUS, nihil est quod deprecet ac recusem, si sensus hi nobiles, soli te digni, soli statu meo digni, ad vitam demum tranquillè degendam, tam necessarij sensus, animo unquam & pectore labantur. Hos mihi tu sensus injecisti, fovisti, servasti; augebis, uti confido, fovebis, & servabis ad finem. Attamen pax illa quam habemus nobiscum, quamquam valde utilis & opportuna sit, non sufficit sola, ni pax accedat constituta cum proximo, quod tertium est, à Christo nascente datam hominibus, documentum.

Pax,

Pax, quæ habetur cum proximo, est fructus charitatis; charitas verò, ex Apostoli doctrinâ, summa legis Christianæ. Mirum igitur videri non debet, pacis cum omnibus colendæ studium, ut præcipuam Christianorum notam, ac veluti characterem, ab eodem Paulo proferri; omnes siquidem, proximi nomine, significari liquet. *Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes.* *Si fieri potest,* inquiebat is, in Epist. ad Romanos, quos fide Christianâ informabat, si fieri potest, & quantum est in vobis, cum omnibus pacem & concordiam retinete. En Christianæ Religionis insigne & peculiaris nota, qua dignoscantur discipuli illius, qui, ab ipsis incunabulis, & Princeps, & DEUS pacis videri voluit. Pauli sententiam, haud cassam sensu, diligenter expendamus. *Si fieri potest.* Sola rei impossibilitas, inquit Chrysostomus, excusare nos potest apud DEUM, si cum fratribus non vivamus concorditer. Alia quævis excusatio, vanum nomen erit, quo culpam prætexemus, & pudorem incutiet nobis apud supremum iudicem. *Quod ex vobis est.* Quantum est in vobis; adeo ut sincerè possimus, atque ex animo, DEUM & conscientiam contestari, nunquam fuisse in nobis situm, nunquam per nos stetisse, quia solidam
illam,

Cap. 12.

illam, quæ charitatis fructus est, pacem cum fratribus haberemus; cum semper à nobis ardentè concupita, semper quæsita haud segniter fuerit: atque ita fuerimus semper comparati, nullam ut illius adipsendæ rationem prætermitteremus. *Cum omnibus.* Pax cum omnibus nullo excepto. Unius exceptio, satis est ad culpam. Satis est ad pœnas paratas ijs, qui pacem aut perturbant, aut abrumpunt, accersendas. Pacem cum uno aliquo non retinere, tam capitale est, iudice DEO, quàm mandatum unum aliquod violare. Igitur pacem cum omnibus habere uno excepto, inutile fit ad salutem bonum. Atque ille unus exceptus à nobis, surget in supremo die, & vindicem Numinis iram in nos excitabit. *Cum omnibus hominibus.* Pax cum omnibus, etiam cum ijs qui sunt ab ea magis alieni; adè ut cogamus illos, exemplo nostro, illam ambire, & Davidicæ mansuetudinis æmuli, cum pacis offoribus pacem retineamus. *Cum his qui oderunt pacem eram pacificus.* Nam, ut addit Chrysostomus, cum pacificis, moderatis, & societatis amantibus ingenijs pacificè vivere, vix Philosopho sit & pagano digna virtus, ne dum Christiana ac divina. In eo excellentia charitatis, imò munus positum est, ut pax & concordia vel inter morosos, difficiles, & iracundos

Psal. 119.

dos homines servetur. Quid ita? quoniam fieri potest, & fit quotidie, ut cum iis ipsis; qui magis iracundi, magis morosi; magis difficiles ac tetrici sunt; à quibus, ob arctiora conjunctionis vincula, minus secedere licet, majorem vitæ societatem habere cogamur. Necessè est igitur, inquit idem Chrysostomus, ut taliū etiam hominum causā, principium nobis suppetat; in quo mutui usūs, & societatis tranquillitas, quam fovere Christianæ charitatis est, niti firmiter ac fundamēti queat. Quodnam autem illud est? perfecta cum Christo nascente similitudo. Subeamus itaque sanctissimum ipsius pectus; hauriamus ab ipso sensus ejus omnes; assumamus affectus eisdem; stabulum contemplemur; accedamus propius ad præsepe. Cælestem illam lucem, quæ mortalium mentes perfundit, toto pectore admittamus & hæc duo potissimum percepta & comprehensa teneamus, infantem illum, DEum esse, qui ut suam in homines charitatem ostendat, *debitum illis* Matth. 1. *omne nascendo dimittit.* DEum illum, ut amorem nostrum sibi conciliet, *prævenire nos*, ut Propheta loquitur, *in benedictionibus dulcedinis suæ.* Psal. 20. Eò usque suo in nos à mori indulgere, ut, quantus est, humanitatem nostram induat; imò (atque id ad propositum nostrum magis facit) ut

Tit. 3.

nostrâ causâ , benignitas & humanitas ipsa , quemadmodum Paulus Apostolus loquitur , fiat. *Apparuit benignitas & humanitas.*

Quæ duo fraternæ charitatis perpetua nobis præsidia à Christo proponuntur , mansuetudo videlicet & propriæ utilitatis contemptus. Omittamus fra-

trum causâ certas quasdam utilitates , quibus inseruimus plus æquo ; simus in eos mites & humani ; nulla tunc inimicitia , nullæ similtates existent. Pax flo-

rebit , & vigebit æterna. Quanta mihi ponendum esset in felicitatis parte, Audi-

tores ; quot vobis commoditates impertiret , si hæc duo Christianæ Religioni anti-

quissima , & in omni vitæ conditione pernecessaria officia , vobis persuadere pos-

sem ! novam res hæc animadversionem & attentionem postulat. DEUS , inquam , nostrâ causâ , & pro immensâ suâ in ho-

mines charitate , jus omne suum illis remittit ; qui , cum sit omnium Dominus , fit obediens , parvus è magno , è divite e-

2. Cor. 8.

genus. *Quoniam propter vos egenus factus est cum esset dives.* Hunc autem propriæ utilitatis neglectum , contendo faciillimum , certissimumque fraternæ con-

cordiæ , solidæque pacis vinculum esse. Nam , ut Bernardus differit , velle concordem cum fratribus vitam agere , nihil illis concedendo , nunquam decedendo

de

de suo jure; nihil eorum gratiâ perpetuen-
do; nihil illis de voluntate remittendo;
tacitè sibi gratulari Christianam illam cha-
ritatem, quæ pacis vinculum est, & o-
stendere se nihilominus tam acrem juris,
honorisque defensorem, nihil de eo pror-
sus cedere obstinatum, sibi suisque commo-
dis æque indulgentem, error est, Audi-
tores; non istuc docuit ille pacis autor
DEUS. Ad hoc utique nihil necesse erat
ut nasceretur & se nobis proponeret ad
imitandum. Charitatis hujusce, suis
commodis & utilitatibus servientis, non
decerant exempla. Nihil necesse erat ut
homo ille idem & DEUS, novum man-
datum nobis imponeret. Ab ipsis mundi
incunabulis, eo se invicem amore profe-
quuti homines erant; istaque, si superis
placet, charitatis, huic rerum est universi-
tati coæva. Sed enim homines cum cha-
ritate illâ nec fuerant pacati unquam, nec
esse poterant. Humani generis conjun-
ctionem, propriæ dirimit utilitatis stu-
dium. *Cesset voluntas propria, ajebat olim
Bernardus, & infernus non erit.* Cesset
propria utilitas, inquit ego, aut potius,
propriæ utilitatis actius studium, & nul-
la jam erunt inter homines dissidia, rixæ
nullæ, nullæ lites, nullæ, privatis in-
domibus, discordiæ, turbæ in utriusque

sextus cœtibus nullæ, nullæ inter populos
 factiones existent. Pax unâ cum charita-
 te regnabit ubique terrarum. Regnabit
 inter te & affinem illum; inter te, & fra-
 trem, & sororem illam; inter te & ami-
 cum, vicinum, & rivalem illum. Ubi
 primùm tibi in animuni induxeris, omit-
 tere illius causâ, hanc & illam utilitatem,
 quæ illum malè habet, pax erit inter vos.
 Quin & sæpe pax illa, si humano iudicio
 pensetur, longè potior erit, quàm utili-
 tatis illius fructus, de quo lis movebatur,
 & quem omittis. Nulla nos ducat utili-
 tas, nullus rixæ, nullus iræ, nullus si-
 multati locus relinquetur. Suavissimos
 humanæ societatis fructus decerpemus;
 puræ ac sinceræ charitatis, percipiemus
 commoditates, sanctissimisque illis na-
 scentis Ecclesiæ fidelibus haud absimiles,
 concordii in pace & firmâ voluntatum ac
 studiorum consensione, anticipatâ fruc-
 mur Beatitate, ac veluti præcepto sempi-
 ternæ felicitatis gustu.

Possumus autem in Christi conspectu de
 his aliter sentire? si verè Christiani sumus,
 an alius iudex, quàm ille homi-
 num Servator, an tribunal aliud, quàm
 præsepe, in quo natus est, nobis adun-
 dum, ad controversias & lites nostras

omnes finiendas ? eritne , qui tam suave
mysterium secum attentè meditatus , ju-
dicem alium appellet ? eritne , qui suas uti-
litates omnes animo libenti ac prolixo
non permittat DEO , ut pacem nobis
afferat , carnem affumentem , hoc ipsum
est Christiane Auditor , quod à te , ipsius
nomine , peto quæsoque . Si quod Fratri
daturus es , & est sæpe momenti res perle-
vis , non est meritis frater , at est meritis
Christus . Si iniquia postulat frater , nec est
æquum ut ei cadas , at æquum certè ut ce-
das Christo . Quod alteri negas , alteri
concede . Quod fratri tribuere reculas , hoc
charitati , hoc JESU Christo largire . Hoc
pretio & quidem levi , pacem mercabere ,
ac mercatam servabis ,

Sed fortasse alia res agitur te inter
& proximum fortasse , utilitate omni se-
motà , illum abs te ferocitas tua abalie-
navit , iritavit iracundia , verbum a-
sperius pupugit , dura offendit , & fastosa
agendi ratio . Quod si ita est , fac , ut te
facili , & mansueto utatur ; fac , alicujus
videatur apud te pretii ; fac , à te illi non
desint certa quædam officia ; cessantem
beneficiis ultro provoca , & illum tibi
placatum , tibi in omne tempus addi-
ctum habebis atque devinctum . At
nequeo , inquires , inexpugnabili natu-
rà reluctante , nunquam id à me inoe-

trabo. Rursum subeas Christiane Auditor, rursum subeas Bethleemiticum stabulum. Ibi conspicias autorem pacis DEUM, humanâ carne vestitum, mansuetum, aut potius, benignitatem ipsam circumdatam corpore, ipsam DEI, mansuetam factam, Majestatem. Iterum dico, ibi DEUM conspicias, qui ut te pelliceret ad sese, prior ad te accedere non est dedignatus; qui divinâ quadam amoris inclinatione ac bonitate, honori veluti duxit, officio prævertere restitantiem. Sic exspectasset donec tu peccator, tu ipsius hostis, & hostis apertus, prior ad se accederes, quo res tuæ loco futuræ fuissent? quod salutis perfugium restaret atque præsidium? habes tamen dedecori, contra Christi exemplum, officiis fratrem prævertere, ut illum tecum in gratiam reducas. Contra charitatis legem, in ipsum, quamvis à te laceffitum odium exerces publicum & immortale. Nonne, hac agendi ratione, cuncta evertis Christianæ fidei principia, & formidolosa divini Numinis anathemata in caput tuum accersis? DEUM ibi conspicias qui, ut te lucrifaciat, cumulat te dulcedinis suæ bonis; qui ut amabilior fiat, omnem exiit Majestatis splendorum, & eò usque se demittit, ut non solum videatur,

deatur - sed & fiat nobis persimilis homo ; DEUM , qui infantili specie , vestrae , non suae , indolet calamitati , vestras luget miseras , non suas. *Sic enim nasci voluit* , ut ait Chrysologus , *qui voluit amari.* Potuisset nasci , & per eum utique tantum stetit quominus in pompa nasceretur , regali luxu & splendore spectandus ; verum enim vero tali in ortu ipsum homines coluissent , reueriti essent , metuissent, & *voluit amari.* Ut autem amaretur , necesse erat ut sese ad nos demitteret ; ut nobis esset similis ; ut , quemadmodum & nos , ita is pati posset. Inde est , quod cum fragili & abjecto corpore , quale nobis hoc mysterium exhibet , nasci voluit. *Sic nasci voluit , qui voluit amari.* I nunc , & in alios fastidiosus & arrogans videri ama. Habe ipsos mancipiorum loco ; imperiosè ac duriter , non ut fratres ; hoc est , amicè & benignè , tracta. Eorum precibus & quærelis aures occlude. Quid est Christianam Religionem abnegare , humanitatis jura violare si hoc non est ? sed hæc hactenus ; infinitus enim sum , si , quæ in eam sententiam dici possunt , persequi velim hoc loco.

Ut ut est Auditores Christiani , hæc illa pax est , sancta planè ac divina , quam

R 4

ante

Rom. 12.

ante omnia exoptare nos oportet, & minore semper stabit pretio, quo quo illa tandem fuerit à vobis coempta. Pax cum fratribus, & citra ullam exceptionem, cum omnibus omnino hominibus. *Cum omnibus hominibus pacem habentes.* Sed, quæ cæcitas nostra est; & ampla valde pudoris seges dum nos immixtis bellis, castigat DEUS, pacem ab eò poscimus, de longè gravissimâ pace paranda atque constituenda, parum solliciti. Nimirum pacem à DEO petimus, quæ non est in potestate nostra; quæ juris non est nostri; ad quam componendam nihil possumus; de eâ conciliandâ, quæ est in manibus nostris, cujus arbitri & sequestri sumus, quam procurare nos & præstare DEUS jubet, minime cogitamus. Superos omnes votis fatigamus, ut redeant in concordiam Principes Christiani; ut à DEO pacem impetremus, quæ propter innumeras ac penè insuperabiles difficultates, videtur fieri nunquam posse; nolumus leves finire controversias, quæ sunt arbitrii nostri, quæ facilem exitum invenire possunt, quas sola fovet inflexibilis animi nostri obstinatio; ac sæpe inter Principes illos, tam implacabiles, facilius convenit, quàm ira & discordiæ nostræ inter nos placantur. Pax illa facilius multò conficitur inter-

flagran-

flagrantes bello populos, quàm, quæ certam familiæ perniciem importat, lis componatur. *Fidelis* ah! Domine, non sim verbi tui Præco si die Christianis omnibus adeo solemnè, quàmque Angeli tui pacem nobis & annuntiant & spondent, eorum omnium, qui hîc adsunt, nomine, pacem illam tam optatam, quæ orbi Christiano tranquillitatem est allatura, non postulem; pacem, inquam, illam, è quâ tot gentium felicitas pendet. Pacem quam meritò reducem optat Ecclesia tua: pacem, quæ tuæ deinceps singularis providentiæ munus, quæ supremæ tuæ tantum fuerit potestatis opus. Eo zelo non sim instructus, quem inesse oportet Evangelico præconi, si Prophetarum exemplo non dicam hodiernâ die, da pacem, *Domine; sustinentibus te, ut Propheta tui fideles inveniantur.* Populo tuo pacem imperias, ne ad placandam iram tuam videatur à nobis frustra impulsus. pacem illi imperias; inter humanas si quidem prosperitates, quas ei sperare licet, pacem primum à te scimus, ac potissimum proficisci, & ad gloriam tuam amplificandam posse magis conferre. Sed enim Evangelico, quo fungor, ministerio longè sim indignior, si præ illa pace, tametsi pernecessariâ mihi, iisque omnibus quos hîc intueor, à te pacem
illam

Coloss. 1.

Eccles. 36.

illam non precer, quæ nos tibi, quæ nos nobis, quæ nos fratribus nostris reconciliare debeat. Pacem, qua tibi sumus reconciliandi, generosæ, sanctæque penitentiaæ beneficio. Pacem, qua nos, vero terrestrium bonorum contemptu & sincerâ animi demissione, sumus nobis ipsis reconciliandi. Pacem, qua sumus fratribus nostris reconciliandi, tenerâ minimèque fucatâ charitate. Colligamus uno verbo, quæ ad hoc mysterium attinent, & peroremus. Eo consilio nascitur *Dominus exercituum*, homo factus, ut pacem hominibus impertiat, Regisque pacifici nomine celebretur ubique terrarum. *Magnificatus est Rex pacificus super faciem universæ terræ.*

Jerems. 23.

*Offic.
Ecclesia.*

En, Rex Christianissime, quod hodiernâ die sacris suis cantibus mitcet Ecclesia. En quod celebrat. Mirabile prorsus exemplar, dignum Majestatis tuæ oculis, eoque fidentius à me propositum ipsi ad imitandum, quò Majestatem tuam sponte jam suâ non dubitem, mores ad illud suos, vitamque omnem dirigere. Etenim haud oblitus sacri mei muneris, neque veritus, ne Majestatis tuæ auribus servire videar, DEO, ut Evangelicum oratorem decet, gratulari debeo, cum te Regem invictum coram intueor, imò Regum invictissimum, qui in suâ ponit ma-
ximâ

ximâ laude , Regem pacificum haberi se
 ab omnibus , atque hoc titulo cæteris Re-
 gibus secerni amat ac distingui. Solen-
 nes in tam nobili Christianorum con-
 ventu , DEO grates agere me oportet ,
 cum & victorem aspicio , & invictum Re-
 gem , cujus studium , cura & ambitio
 omnis , eò tantum spectat , Europam pa-
 catam ut reddat atque tranquillam. Qui-
 que , vel eo nomine , illius est imago a-
 spectabilis in terris , cujus hoc est pecu-
 liare ac proprium , ut *exercituum* juxta &
pacis DEUS habeatur. Pax illa , cœleste
 donum est , multòque nunc magis agno-
 scimus , profani mundi hujus , eam ut
 det , opis non esse. Verùm magnopere
 confidimus , Rex Christianissime , mun-
 do etiam invito , Majestatis tuæ sapientiâ,
 intelligentiâ , sinceritate , excellentia a-
 nimi , propriæ utilitatis contemptu ,
 DEum usurum esse , ad pacem illam Euro-
 pæ redonandam. Hac nos cogitatione
 consolamur , quòd Majestas tua , ex
 Christianæ fidei legibus , bellum tantum-
 modò gerit , ut commodiorem suis , uti-
 liorèmq; pacem constituat. Hoc nos
 sustentat ac reficit , quòd eò bellica ipsius
 consilia , eò felices pugnarum exitus , eò
 urbium arces , quas molitur , eò victoria-
 rum omnium cursus , eò triumphus ejus
 omnes spectent , ut tutiore , ad eam pa-
 cem,

Jerem. 23.

1. Theff. 5.

cem, promptioréque viâ, perveniat,
 Hoc spes nostras alit, simulque nostram in
 Majestatem tuam reverentiam auget ac
 studium, quod non dubitemus, quin
 summæ in Gallos suos charitatis rationem
 semper habeat potiozem, quam commo-
 di & utilitatis privatæ, atque adeò nihil
 sit, quod huic paci non libenter postpo-
 nat. Ita, Rex Christianissime, verus
 DEI exercituum ac pacis æmulator, &
 hoc addes titulis ingentibus, ut orbis
 Christiani cum jam Heros agnoscaris,
 ejusdem adhuc pacificator habere. Ni-
 mirum opere illo tuo, maximus ad he-
 roicos tuos labores cumulus accedet. No-
 bilitabitur imperium, gloriosissimæ forti-
 tuæ velut fastigium imponetur. Annue
 votis nostris, DEUS optime, maxime,
 aut potius, tam consentanea tuis, pacifi-
 ci hujus ac victoris Regis, consilia,
 felicem ad exitum promove. Pacem,
 quam hodie per Angelos tuos promittis,
 fac per illum habeamus; ac si nobis es ad-
 huc iratus, si peccata nostra cœlestibus
 flagellis sunt rursus castiganda, fas mihi
 sit idem orare quod Propheta olim, eo-
 demque Spiritu animato dicere; *dissipa-
 gentes quæ bella volunt.* Pervicaces illos
 & pacis osores populos disperde; disjice
 consilia illorum omnia; fœdera abrumpe;
 infringe conatus; consilia misce. Patere
 ut

Psal. 67.

ut cum eodem Propheta subjungam ; *Effunde iram tuam in gentes quæ te non noverunt, & in Regna quæ Nomen tuum non invocaverunt.* Si aliquo erumpat necesse est iracundia tua, effunde illam, quæso, eas in gentes quæ te non norunt. In ea regna, quæ nomen non invocant tuum; in eas gentes, quibus ignota est vera Religio. In ea regna, ubi cultus tui integritatem hæresis sustulit, penitusque delevit. Contrà verò misericordiæ tuæ thesauros effunde in Christianum hoc Regnum; ubi Numinis tui cultus purior viget, tibi tibi servitur *in Spiritu & veritate.* Effunde illos eum in regem, qui mihi dicenti auscultat, & tuæ magis, quam suæ, gloriæ studiosus, tuos ad pedes, non sceptrum modò ac Regium diadema, sed & victrices lauros omnes abjicit, pietatis ac Religionis in te suæ ut pacificum Numen, perenne monumentum; qui Ecclesiæ tuæ utilitati serviens, pacem illam Imperii sui anteponit incremento; mediasque inter armorum prosperitates, non ægè, illius causâ, de suo jure decedit. Ita effectus Princeps quid à te, Domine, non speret? quam tutelæ in ipsum tuæ vim, aut potius miracula, spondere meritò atque expectare non possumus? *Est hic utique vir dextera tua. Fiat manus tua super illum.* Comple divino tuo Spiritu

Psal. 78.

Joan. 4.

Psal. 79.

no-

nobile pectus. Cœlestis sapientiæ luce animum ejus collustra. Gratia tuæ præsidio semper illum tutare. Tam charum caput quandiu proteges, non fœderati in eum, & conjurati orbis universi Principes, ullam calamitatis partem ipsi unquam, ipsiusque Regno importabunt. Denique non dubitamus, DEUS optime, quin, ope tua subnixi, salutarem illam pacem impetremus, quam & exposcimus à te, ut unum è fructibus, Christi Servatoris ortu, partis; ut beatæ ac sempiternæ, qua Cœlites fruuntur, pacis adipiscendæ; futurum nobis adjumentum.

Amen.



ALIAE